




Nr. 14

38

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
**DODECADIS PRIORIS**  
ULTIMA, seu DUODECIMA,  
QVA  
DOCTRINA  
DE  
**PERPESSIONI-**  
**BUS JESU CHRISTI,**  
EJUSDEMQUE SACRIFI-  
CIO ET SATISFACTIONE,  
A VIRI CLARISSIMI,  
*PETRI POIRETI,*  
CORRUPTELIS PORRO VINDICATUR:  
**IN REGIA FRIDERICIANA**  
*Die Maji hujus M DCC XX anni*  
PRÆSIDE 20.  
**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
responsione publica defensa  
A  
**JOANNE GEORGIO LEUBIO,**  
SOMMERHUSANO FRANCO, S. TH. STUD.  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOAN. FRIDERICI KOTTENDORFFII, Acad. Typ.





DISQVISITIO C. III. OECON. L. IV.  
DE  
PERPENSIONIBUS JESU CHRISTI, EJUSDEM-  
QUE SACRIFICIO ET SATISFACTIONE.

§. I.



Nde a capitinis initio per quatuor priores paragraphos p. 78-82. Auctor multus & admodum verbosus est in describenda perpensionum Christi multitudine. Ubi inter alia haec occurunt effata:

*Non recusavit immanissimam afflictionum molem, earumque novarum & perpetuarum, quam nemo unquam cogitationibus assequi valuit, in se suscipere.* §. I.

*Quanta rabie, quantis temptationibus cruciatibusq; animam Christi misere affixerint dæmones, nemo unquam cogitatione assequetur. -- Quidquid unquam ignominiarum, opprobiorum, contumeliarum, indignationis ac dolorum animo concipi potest, ille unus ab omnibus experiri debuit &c.* §. II.

Nullum est dubium, quin dolores angoresque perpensionum Christi tanti revera fuerint, ut nulla unquam creatura eorum vim cogitando sibi effecutare; imo si inter homines omnes dispersi divisique fuissent junctis derelictionibus illis, in quibus a Patre suo se relictum vidit, omnes & singuli animo concidissent, imo animam ipsam efflavissent. §. III. & IV. &c.

§. II.

Ad dijudicationem prolixii sermonis, qui per paragra-

A 2

phos

phos quatuor priores & deinceps etiam continuatur, quatuor  
hæc momenta notanda sunt: 1. Hypothesis de summa perse-  
ptionum Christi *extenuatione*. 2. Summa earundem *exaggera-  
tio*. 3. Fundamentum hujus *exaggerationis lubricum*, immo-  
torum commentitium. 4. *Periculum & noxa sententiæ hujus  
conjunctionis sumtae.*

§. III.

I. Hypothesis de summa perpetrationum Christi extenuatione est in eo, quod Auctor negat & pernegat, peccata universi generis humani Christo suisse *imposita*, ita ut per liberam sponzionem & substitutionem suscepto ipsorum reatu eorumdem penam ipse luerit. Hoc Auctorem negare & explodere, abunde liquet ex iis omnibus, qua per integrum superiorum Dissertationum seriem deducta sunt. Plura alia mox videbimus. Hac autem negatione perpetrationes Christi adeo extenuari, ut gravitati & magnitudini ipsarum omnis fere nervus incidatur & is penitus tollatur, ac Christus in locum aliquius martyris, & quidem inferioris, seu imbecillioris, inferiore referatur, quis non animadvertit?

§. IV.

2. Cum summa vero hac ~~παθητῶν~~ Christi extenuatio-  
ne conjuncta est summa eorundem *exaggeratio*, quam priores  
capitis III. paragraphi habent. Hic enim Auctor Christo tribuit  
tantam perpeccutionum multitudinem, tantamq; magnitudinem,  
quantam nemo unquam vel sola cogitatione assequi valeat, &  
quantam ne omnes quidem mortales inter se divisam perfer-  
re potuissent, atque ita in sola Christi persona longe superio-  
rem amplioreisque universo illo ~~παθητῶν~~ cumulo, quem  
conjunctione omnes mortales, speciatim martyres, unquam  
sustinuerint, utpote sub illo collapsuri, & animam efflaturi.

S. V.

3. Jam si in fundamenrum hujus tantæ exaggerationis inquiras, pro faxo, seu petra immobili, vix arenam deprehendus, nimirum absurdam & indignissimam hypothesisin de in-

hæsione peccati, quod Christo peccatum non fuerit imputatum, sed quod illud ipse, non secus ac aliis hominibus, inhæserit, & quod, ut istud intra se plenissime devinceret, consensu omni temptationibus negato, ineffabilis pugna ad victoriā ipsi fuerit depugnanda. Quæ sententia quam horrida sit ac Christo indigna, Dissert. undecima ex instituto consideravimus. Quis hæc ex eadem non cum horrore recordatur, ab Auctore ipsam illam pugnam, quæ Salvatori in oliveto cruento sudore stetit, ad hanc peccata irritantis oppugnationem fuisse relatam? Ita enim is scribit L. III. c. XVII. p. 819. Videamus Christum inclinationibus, quibus naturam suam infirmam abripi sentiebat, restitisse, eoutraria autem elegisse, **CONTRA VOLUNTATEM CARNIS ITA FORTITER PUGNASSÉ**, UT SANGVINEM PARITER AC AQVAM SU-DÄVERIT, ac immanissimis quibusque incommoditatibus, quas caro abhorret, imo ipse morti carnis sese exposu-rit; videlicet ut nos eadem similiiter in nos transferemus. n. r. a. Conf. L. IV. c. II. p. 59. & 80. Quæ sane magna est doctrinae evangelicæ depravatio! Ipse hypothesi huic suæ diffusus, siue quasi immemor §. III. p. 81. dolorum Christi caussam refert ad amoris commiserantis affectum, quo Christus motus peccatis hominum gravissime angatur: Amorem, inquiens, erga homines integrerrimum semper invictumque conservavit, quanquam illi eum indignissime tot tormentis discrucierant, atque per tot peccata, quibus singulis momentis semet ipsos ab eo separabant abstraherantque, animam ejus immanissimis doloribus adeo sauciarent, ut nulla unquam creatura, utur sensu presentissimo praedita, tantam dolorum vim effet expertura, licet forte propria eius membra a vivo corpore violenter avellerentur.

## §. V.

Pericula vero ipsaque damna, quæ hæc hypothesum monstrâ puriori doctrinæ intentant, quis non videt? Primo enim animæ ab evangelio apostolico, tanquam a saluberrimis pascuis, abducuntur in desertum aliquod horridum, quod

pro limpidissimo doctrinae fonte aridas novi alicujus evangelii lacunas habet. Deinde obscuratur, immo plane evertitur, gloria Christi. Quid? quod haec inde ignominia in Christum redundat, quod perpecciones ipsius, nec non virtutes in iis sufferendis exsertae, vix ullius probati martyris mensuram in perpeccionibus & earum tolerantia possessam ac demonstratam attingant: quemadmodum alibi jam evictum est. Atque ita Poiretiana haec heterodoxascalia universam religionem christianam, certe totum ejus centrum, emperatarum ludibrio expavit, et si auctore hoc nequaquam intendente.

## §. VI.

Nec emollitur, aut minuitur, haec τερατολογία, quando Auctor partim ad συμπαθείας affectum confugit, partim causatur, in Christum solum singulatum peccatum & diabolum ipsa irritatione & solicitatione interna tantum fecisse imperium, quantum vix in alios homines conjunctim faciant. Nam commentum hoc est, utι ἀντίγραφον, sic etiam αἷλογον. Quod si enim Christo peccatorum totius humani generis reatus, vi voluntariae sponsionis, ad subeundam & auferendam ipsorum penam non fuit impositus; certe nec peccatum, nec diabolus ullam in ipsum potestatem habuerunt, utpote natura simpliciter αναιμάτων & sanctissimum. Solum vero συμπαθείας affectum Christo infinitos illos dolores & cruciatus creasse, etiam a Scriptura sacra & a lana ratione quam maxime abhorret. Iste enim συμπαθείας affectus ante ινσάρωσιν, & post eam aite luctam cruentam in Oliveto & ante mortem in cruce, immo post hanc, & adhuc in regno gloria apud Christum non est, aut fuit, minor, quam in ipsis extremitatis perpeccionibus; utpote quæ ex eodem affectu sunt suscepptæ. Quis vero dixerit, Christum non minus post, quam ante, actum perpeccionum ultimarum eosdem sensisse dolores & cruciatus? quos tamen non ex hypothesi Poiretiana potuisse non sentire pro eodem committerationis affectu nunquam exuto. Conf. Hebr. IV, 15. ubi Christus describitur ut sacerdos

συμπά-

**εὐπεπάρχων**, etiam quatenus jam tum in statu gloriae erat. Atque ita sistema Poiretianarum hypothesium magna ex parte scoparum dissolutarum nexus habet. Haec haec tenus ad di-  
judicandum prolixum Poireti sermonem, quem quatuor pri-  
ora cap. III. paragraphi habent. In sequentibus nunc ipse erit  
audiendus, quantum res ipsa postulabit, & brevitatis studium  
admitteret.

Locus I. §. V. p. 82. L. IV. c. III.

Ceterum Christus illa non fecit passusque est, quod ipse iis-  
dem opus habuerit: quandoquidem originitus nihil in ipso ine-  
rat quod oppugnari deberet, ac maledictio nihil juris in eum  
per se habebat. Multominus autem ideo ea suscepit, quod ipse  
Deo necessaria fuerint. Totum hoc, quicquid est, propter so-  
los homines factum est. Videlicet hi sunt, qui malis omnibus  
pleni sunt, maledictionis atque diabolorum vexationibus expo-  
siti, proprieque iniquitatis ac pravarum consuetudinam servi.  
Unde si servari, sique ita mutari velint, ut lumen Dei in iis re-  
sidere atque dominari incipiat, necessarium omnino est, ut ho-  
stes illos omnes oppugnent; operamque dent non tantum ut ab  
iis non abripiantur, sed & ut eos vincant atque eliminent, a-  
nimamque suam praestent immunem ab iis atque puram. Ve-  
rum illi infirmi nimis sunt atque impotentes, quam ut per se  
tantum opus possint exequi. Quid ergo? iste omnino erit  
pereundum? Minime. Adebat hic qui se ipsum iis Liberatorem  
affert. Quid ille vero nobis affert? Is spiritu amoris puri at-  
que omnipotentis animatus, in se ipso campum aperit, in quo  
pugna committatur, que sola pugnas hominum omnium ac sin-  
gulorum equiparet. Et hac quidem in pugna hostes illos omnes  
quotquot sunt, nobis coram sufficientibus, in se devincit, ut  
certiores nos reddat, quod idem in nobis pariter facturus sit; do-  
cetaque, quod peccatores omnes, ut longe infirmissimi, modo  
spiritui Christi se tradere atque illius se regimini committere  
velint, ab ipso in se sentient derivari partem ejusdem Spiritus  
potentis Amoris illius purissimi, qui in Servatore adfuit, qui Spi-  
ritus

ritus impetus omnes tentationem corruptionis nostræ, atq; turborum naturæ fortiter in nobis suffineat; eorumque inclinationibus non tantum ab ripariatur, sed & eosdem abreptos in elementum Amoris ducat, ubi quicquid in iis ineſt maligni, ac ab amore puro alieni, extinctum consumet, & si quod supererit, in media ipsius Amoris promovendū transmutabit. Fiet ita, ut anima peccatrix, quando Spiritui Christi se ipsam tradet atque in eum ſe deemerget, parata ejusdem operationes [quas ipsa ex ſe producere non valet] contra hostes suos admittere, eodem Spiritu potente, patiente, perseverante, vincenteque, qui in Christo eſt, investiatur, qui in illa perinde atque in Christo efficaciter operatur eſt. Unde si quando in ea tenebrae, peccata, vitia, consuetudines prave, fundusque ipſe corruptus anima, ſive per irradiationem luminis, ſive per malignitatem demonum aliarumque creaturarum excitantur, atque imperu faelo animam abripere conantur, idem Spiritus omnipotens, (qui animam ſibi traditam infeſtit) in ea impetus illos fortiter suffinet; eamque non tantum ab aliis abripi non ſinit, ſed & contra eos eredam fuſcitat, & una cum ea eosdem impugnat, tandemque extinguit, irritoſque & a viatore ac vita deſtitutos, ex corde ejicit, animam ab iis ita emundans purificansque, ut non niſi que Deo grata ſunt, in ea deinceps ſuperſint.

### Disquisitio hujus loci.

1. Si originitus nihil, ſeu nullum peccatum proprium, fuit in Christo, quod oppugnari deberet, & ſi maledictio in ipsum nihil juris per ſe habuit; ſequitur imputationem peccati alieni in ipſo locum inveniſſe. Et hinc porro ſequitur, luctam, quam Poiretus Christo tribuit, eſſe non ens, ſeu merum commentum. Nam inter peccati proprii, ſeu inhærentis, culpam & alieni imputationem non datur tertium in uivera natura & Scriptura, ob quod aliquis peccati poenam luere debeat. Christum vero peccatorum poenam luifſe, demonstratum eſt Difſert. V. & VII ac VIII. Dodecadis prioris.

2. Verbis: multo minus ideo ea (adverſa) fuſcepit, quod ipſi

*ipſi Deo necessaria fuerint*, Auctor prodit errorem suum de Dei iustitia vindice, nec non de peccati imputatione, ejusdemque culpa & pena negata, supra prioribus Dodec. prioris Dissertationibus destructum.

3. In verbis: *Totum hoc, quidquid eſt, propter ſolos homines factum eſt*, ne hilum quidem ſenſus hilafſici & meritiorii habere, ex integro contextu & ex integra Poiretiani ſystematis compage liquet.

4. Progressus paragraphi ostendit, omnia referri ad expugnationem peccati inharentis. Quam tamen doctrina evangelica de peccatorum expiatione nequaquam negat, ſed ratione ordinis & applicationis ipſa quam efficacissime urget; quemadmodum *Difſert. I.* Dodec. prioris ex instituto demonstratum eſt. Poiretus vero imperitis ſuis lectoribus ſucum facit manifestum, dum ipſis persuadet, dogma de inharenti labiſ expurgatione non niſi ſua methodo, ſuoque ſenſu, tractari poſſe.

5. Christo peccati nullius labem inhälfie, ſupra *Difſertatione* undecima demonstratum eſt. Jam ſi, ſecundum Poireti hypothefin, nec peccati alieni imputatio in Christo locum habuit, sequitur, imaginarium plane eſſe pugnae campum, imaginariam pugnam, pugnas hominum omnium ac ſingulorum æquiparantem, quam Christo tribuit. Et hostes a Christo, nobis coram adſipientibus, devictos eſſe, inanis eſt confictæ hypothefeoſ exornatio.

6. Omnem omnium perpeſſionum Christi scopum & effectum in eo ponit Auctor, quod *Christus nobis Spiritum ſuum donet, ut etiam nos hostes noſtros iura noſ devincamus*. Sed respondeo: 1] hunc ipſum scopum & effectum, eti nequaquam ut ſolitarium, omnino etiam urgeri in ordine commendatae & applicatae ſatisfactionis forenſis; uti *Difſ. I.* Dodec. I. demonstratum eſt: 2] Ut Christus ſuum nobis Spiritum daret, ipſi nequaquam opus erat perpeſſionibus ejusmodi,

modi, quales ipsi auctor tribuit, sed poterat nobis eundem dare sine earum ulla suscepta. Nulla enim est consequentia inter hæc duo: Christus volebat hominibus spiritum suum donare ad peccata intra se devincenda. Ergo necessario ipsi subeunda erant infinita perpeffiones. Atque ita secundum hypothesin Poiretianam omnis perpeffionum Christi necessitas plane tollitur; ea autem commendatur quam maxime secundum doctrinam evangelicam, ad ductum Scripturæ sacrae integra Dissertationum Dodecadis prioris serie propositam & vindicatam.

a] 7. Quod si discipulus aliquis Poiretianus hic excipiat, officium christianorum, de superando intra se per donatum Christi Spiritum peccato non parum illustrari ejus exemplo, in perpeffionibus proposito; eo enim animari ipsos ad fortiter depugnandum sub certa victoria spe, e Christi victoris exemplo desumpta: sed facilis hic est responsio. Nam a] pugna illa Christi, qua tentantis peccati intra semet ipsum devicti exemplum nobis reliquissimum dicitur, tota est communitia, a Scriptura sacra, veritatis analogia & ipsa faniore ratione quam maxime abhorrens, uti *Dissert.* undecima demonstratum est. b] Si autem a Christo vere pugnata fuisset ejusmodi pugna, ejus exemplum nos pugnaturos ad desperationem potius posset adducere, quam ad victoria spem erigere. Ita enim omnino nobis esset argumentandum: Si illi, qui verus Deus est, & ad vincendum intra se peccatum diuina plane & imminensa virtute sicut instructus, & cuius humanae naturæ non ex ipsa origine inhæret peccatum, sed tantum ex libera electione [qua tamen etiam ipsa sine absurditate concipi non potest] aut permissione adharet, ejus devictio cruento stetit sudore & expressit vocem desperantis lamentum simillimam: *Deus mihi, Deus mihi, cur me dereliquisti:* ergo nobis homuncionibus, et si donetur nobis Spiritus gratia, & longe inferiori quidem mensura, ac eundem ipse  
habuit

habuit, ob peccatum non solum adhærens, sed etiam animæ nostræ facultatibus intime inhærens, & viribus nostris longe superius, plane desperandum, ideoque ne tentanda quidem erit pugna. Certe huc dicit argumentum Poireti, ab exemplo Christi, quale is illud singit, defundit. Cujus consequentiam qui e sectatoribus ejus non videt, aut experitur, is hæret in pugna imaginaria, aut divinæ debet gratia, quod error iste efficaciam suam in ipso non exercuerit. Tentatis vero & afflictis animis, qui in media, eaque victrici, pugna, de victoria dubitant & ad desperationem solicitantur, ex hypothesi Poiretiana, per evangelium de Christi satisfactione, quod is penitus negat, ne tantillum quidem solatii adferri posse, per se manifestum est.

8. Ultimis allegati loci verbis de emundatione tali, quæ nihil, nisi quæ Deo grata sunt, in anima relinquat, Auctor suæ ipsius experientiæ contradixit.

### Locus II. §. VI. p. 83. 84.

Sic videmus, quomodo fiat ablutio peccatorum nostrorum, delictorum nostrorum expiatio purificatioque; tenebrarum nostrarum, motuum scelerorum, turbarum ac maledictionis Dei in nobis cessatio; veteris denique mors hominis: hec enim omnia unum idemque sunt. Ablutio illa, purificatio cessatioque & mors, in Christo, in eius sanguine, in ejus Spiritu, qui Spiritus est perpetuum atque Amoris, fit atque peragitur pro omnibus, qui re ipsa atque inherenter, ut loquuntur, in eandem ingressi, ipsi sese tradiderunt: quo facto, subsequitur deinde Justificatio, seu declaratio illa, qua Deus cor hominis solatur, declarans eidem [Rom. 8. v. 1. 2.] quod nulla supersit condemnatio pro iis, qui in Jesu Christo sunt, qui non amplius secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum: quoniam Lex Spiritus vivificantis, (hoc est Amor purus, divinus ac efficax, qui in Jesu Christo est, (in quo ipsi insunt,) eos a lege pecca-

ti ac mortis liberavit. Et profecto tum nullæ tenebræ, nullaque motus tenebrarum in hac anima supersunt; tum illa Deo iterum unita adhaeret, qui in ea salutem plenam operatur, modo ipsa perseveret, donec hostis, qui jam ex intimis (ex ipsa anima eusque propensionibus affectionibusque) ejactus est, ex partibus etiam exterioribus, hoc est, ex carne nostra atque ex objectis naturæ corruptæ, quibus obſidemur, discesserit: id quod in morte corporis futurum est: ex quo porro tempore anima pura ac iusta malum nunquam amplius videbit; sed Deo atque Aſſertori ſuo, omni venerationis cultu dignissimo, perpetuo unita manebit.

### Disquisitio hujus loci.

1. Indignissima fane verborum ac significationum est detorsio, quando Auctor doctrinæ de expugnatione peccati inharentis corruptissime descripta hoc subjungit epiphonema, eodem novum paragraphum inchoans: *Sic videmus, quomodo fiat ablutio peccatorum nostrorum, delictorum nostrorum expiariorum purificatioque.* Quia enim justificationem habet pro renovationis synonymous, non dubitavit verba, quibus istam describit Scriptura sacra, de hac adhibere.

2. Eadem notionum confusione vocem *maledictionis*, qua in sacris præcipue sensum forensem habet [vide Differt. VIII. Dodec. prioris Prop. XX. p. 16. seqqv.] de inharente damnō, seu peccati labo, intelligit.

3. Et huic maledictionis cessationi, seu ablutioni peccatorum in sanguine Christi, demum postponit *justificationem*; per quam vero, nova notionum depravatione adhibita, nihil intelligit aliud quam sensum pacis spiritualis, ut in Dodecadis posterioris Dissertationibus suo loco videbimus.

4. Ut reliqua sunt omnia, sic etiam justificatio hæc falso credita, seu iensus pacis, depravata est notionis. Tum demum

mum enim justificationem istam admittit Auctor, quando nullæ tenebræ, nullique motus tenebrarum in anima amplius super-  
sunt. Qua ratione se ipsum ab eadem quam certissime ex-  
clusit Poiretus.

5. Et huic errori subest alius de peccato adhuc in ex-  
terioribus partibus herento, quando ex intimis, b. e. ex ipsa  
anima ejusque propensionibus & affectionibus ejectum sit. E  
quibus quod ita ejiciatur, ut tamen adhuc in ipsis hæreat ac  
hospitetur, sane pernicioſa est hypothesis; utpote qua non  
solum spirituali superbiæ, sed ipsis etiam fraudibus ac impo-  
sturis omnis generis fores aperit. Memini enim fuisse ho-  
mines, hoc errore deceptos, qui in ipsis flagitiis deprehensi  
negaverunt, animam suam peccasse, cauſſati, peccati sedem  
apud ipſos non amplius in anima, sed tantum in corpore fu-  
pereſſe.

### Locus III. §. VII.

Rogantur omnes, qui salutem suam amant, & veritates  
hasce legunt, ut easdem diligenter obſervent atque animo ſol-  
licite imprimant. Hoc enim eſt centrum, hæc medulla atque  
ſubſtantia totius Evangelii. Evidem illæ nemini blandiuntur,  
uti doctrina quam mundus vulgo & amat & audit. Verum  
quid juvabunt tandem iſtæ blanditiæ, ſiquidem res ipsa tamen  
coram Deo eadem ſemper manebit? neque ex tot blanditiis,  
quibus nos ipſos fallimus, aliud fructum ſperare licet, quam  
ut aliquando nos ad mortem aeternam damnatos videamus, qui  
tempus hoc pretiosissimum, ad purificationem noſtri procuran-  
dam datum, nihil agendo nunc extrahimus; qui tamen, ſi no-  
bis ipſis non blandiamur, ſervari poterimus, modo veritates E-  
vangelii genuinas ac puras rite obſervemus, Job. 12. v. 25. Qui  
animam ſeu vitam ſuam amat, perdet eam; at qui eam hoc in  
mundo oderit, in vitam aeternam cuſtodit eam.

## Disquisitio hujus loci.

1. Obtestatio Auctoris sucata quidem, quod facile largior, non est: at maxime aberrantis tamen est conscientia, ideoque non audienda; salva tamen doctrina de renovatione.

2. Doctrina ista tantopere commendata nequaquam est centrum, medulla ac substantia, totius evangelii, sed matæologia Burignonianæ, theologiæ mysticæ & sacrosanctæ speciem præ se ferentis.

3. Neque doctrina de satisfactione forensi, quam Poiretus explodit, ulli blanditur; quam si mundus amat & audit, in quantum mundus est & manet, ea abutitur indignissime, ejusdem præstantiam & veram indolem cum Poireto ignorans. Quibus observatis manifestum est, irrita esse Cl. Auctoris monita reliqua, cum tanto sensus obliquitate & ~~re~~cia laborent.

## Locus IV. §. VIII.

Jam supra monui, in Sacrificio Christi separanda non esse ea, quæ ibidem unita erant. Quamvis enim nobis exemplo esse debeat, absit tamen ut hoc pretextu solum & nudum exemplum in eo spectemus, cætera autem bona, quæ eidem inseparabili vinculo connecta adhærent, meritum puta, Satisfactionem, virtutem divinam ac gratiam salutarem, ab eodem separamus. Solum hoc commentum infelicissimum substitutionis exemptionisque pro vetere homine, eidem detrahendum est, si quidem verus ille homo obtenuit Justitiam Dei non potuisse placari nisi sanguine doloribusque infinitis, quos homo ipse ei persolvere non poterat, totum hoc negotium a se devolvere voluit. Vidimus supra, (Oecon. Lib. III. cap. V. n. 17. 18.) quomodo vel ante Christi incarnationem dignitas ac Meritum infinitum Divine ejus Personæ intercedentis Justitiam divinam plave-

cave-

eaverit. Idem illud meritum & in eodem Christo in carne pa-  
tiente morienteque adfuit, tandemque gratiam, quantum ad  
substantiam rei, a Deo pro hominibus impetravit. Quod au-  
tem iterato hoc Meritum in persona Christi non quidem gloria  
ui ante, sed ignominia potius doloribusque induiti, coram Deo  
sibi debuit, non ex eo est, quod ex parte Dei Justitia divina  
id necessario exegerit; verum quo misericordiam Patris tanto  
magis moveret, voluit ipse eo in statu offerri, qui amorem ejus  
usque adeo incredibilem atque exsuperantisimum erga homines  
Patri palam ostenderet. Ex parte vero hominam causa ejus  
rei hec erat, ut illi hoc exemplo dicerent, quomodo per vir-  
tutem Dei ipse vivere debeant ac mori, quo plenitudinem gra-  
tia ac gloria, quam iis Intercessione sua commeruit, in se ipsis  
admittere possint.

### Disquisitio hujus loci.

1. Quam corrupte Auctor supra doctrinam de Christi  
sacrificio tradiderit, ostensum est supra in aliquot Disserta-  
tionibus.

2. Ibidem vidimas, meritum, satisfactionem ac grati-  
am salutarem eidem nil nisi inania esse nomina, falso in  
sensum ab Evangelio alienissimum abrepta.

3. Et quam ipsi invisa sit vera meriti & satisfactionis  
notio, vel ex eo est liquidissimum, quod eam vocat commen-  
tum infelicissimum substitutionis exemptionisque pro vetere ho-  
mine, errori intellectus jungens vitium voluntatis, h. e. falla-  
ciam confusionis, quo turpem sanctissime istius doctrinæ ab-  
usum cum usu ejus salutari data opera confundit.

4. Ad illam placationis descriptionem, ad quam Au-  
tor provocat, quod attinet, vidimus itidem supra *Dissert. X.*  
*Dec. I.* illam esse commentitiam & a Sociniana in eo tantum  
differre, quod etiam ante incarnationem locum habuisse di-  
citur.

5. In

5. In ipsa hac placationis commendatione est manifesta ejusdem abnegatio, quando ea non ad justitiam vindicem ejusque satisfactionem, sed ad abundantiorem Patris persuasionem, per se jam ad condonandum, justitia nihil obstante, pronisimi, sed respectu hominum, ad exemplum imitationis ipsis præbendam, uti satisfactione forenfi, ita etiam justificatione tali, penitus exclusa. Quæ manifestissima est apostolicæ doctrinæ depravatio,

### Locus V. §. IX.

*Ex quibus perspicuum est, nulla ratione contra veritates hasce id opponi posse, quod contra hæresin Socinianorum opponi solet, quibus docentibus, Christum ideo tantum passum, ut nobis exemplum daret, objicitur, siquidem solum hic exemplum spectari debeat, Prophetam nudum, aut Apostolum aliquem huic exemplo dando sufficere potuisse. Gravissimæ enim sunt causæ, quæ idem nobis objici non sinunt, qui dicimus, Christum Divinitati personaliter unitum, per merita sua infinita, quibus Justitiae Dei satisfactum est, gratiam atque veniam hominibus imprestrasse, simul dum principium viræ iisdem daret cum exemplo suo divino ac vivificante, quod sene nudum exemplum non est, nec tale, quod a nuda creatura profici potest.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Sociniani erroris participationem & suspicionem vulneratae conscientia stimulo hic a se amolituri protestatio ipsi factō directe est contraria. Etsi enim Auctoris error certo respectu ab hæresi Socinianorum differt, re tamen ipsa & in ipsa rei substantia cum ea omnino convenit, immo ex parte eadem adhuc est deterior, ut antehac suo loco demonstratum est.

2. Fallsum est, Socinianos in perpersionibus & officio Christi omnia referre ad solum exemplum. Eos non minus, ut

ut Poiretus facit, præter exemplum etiam intercessionem aliquam, sed totam commentitiam & a sensu forensi & hilastico, proprie sic dicto, alienissimam prædicare, Auctorem vel solus Catechismus Racoviensis Sect. III. docere poterat.

3. Etsi Autor in doctrina de persona Christi dissentiat a Socinianis, in ea tamen de ipsis officio quoad rem ipsam omnino Socinianus est, immo ex parte Christo minus tribuit, quam Sociniani. Id quod allegatam Catechismi Sectionem cum Systemate Poiretiano conferenti ad oculum patet.

4. In ipsa etiam illa Christognosia parte, qua de persona ejus agit, Poiretum ab erroribus aliis haud esse immunem, supra *Dissert. IX.* evictum est. Huc pertinet locutio insolens, qua quod de abstracto natura humana tantum valet, de concreto persona exprimit: *Christus divinitati personaliter est unitus.*

#### Locus VI. §. X.

*Equidem exemplum nudum, veluti Sancti cuiusdam, Prophetæ aut Apostoli, majus quid foret efficaciusque sacrificio animalium: at id ipsum tamen illi soli salutare esset qui hac ratione semet ipsum immolaret Deo, neque vero meritum infinitum haberet pro iis, pro quibus interceditur, quod certe sacrificium Christi habuit; neque satisfactorium foret, aut omnia satis sufficienterque ficeret ad misericordiam Dei hominibus omnibus reconciliandam; neque etiam omnibus iis, que in necessitatibus omnibus salutis hominibus procurande requiruntur, sufficeret aut satisfaceret. Atque Sacrificium exemplare Christi hec omnia conjuncta habet, ita ut simul & meritorium sit, & satisfactorium. Hoc dum adest, peccatoribus omnibus, qui idem participare atque imitari volunt, nihil deest. Quicunque peccatis suis in Christo mori vult, veretur tamen ne per peccata præterita venia, gratiaque & viribus necessariis*

indignus sit; is, etiam si peccata omnia omnium hominum solus admissit, poterit tamen is non obstantibus ad Deum recurrere, eumque inclamare. Quamvis propter peccata mea præterita gratia ac venia indignus sim, nihilominus offero tibi nunc, o Domine, oblationem Filii tui dilectissimi in cruce praefitam, ac per Amorem hunc, quo Filium dilectionis tue amas, perque Amorem illum immensum, quo ille peccatores complexus est, quoque impulsus preces suas pro iis apud te interposuit mediis in miseriis gravissimis, quas suscepserat ut salutis media iisdem procuraret, oro te atque obtestor, ut gratiam tuam atque opem, quam nullus mereor, mibi non deneges; sed iisdem mihi adesse, ac demeritum meum merito Amoris ejus, qui pro me intercessit ac passus est, supplere velis. Haec certe preces, aut semiles, a Deo nulla ratione rejici possunt. Imo vero ille peccatori huic propter JESUM CHRISTUM veniam ac peccatorum oblivionem, gratiam suam, sua lumina, gaudia sua æterna, mediaque quibus ea & admittat, & obstatula contraria removeantur, nec non vires necessarias, quibus hac omnia amplectatur, in ipso Iesu Christo offert, in quo omnia sufficierent ac satisfactorie iuveniuntur. Supereft igitur ut homo in Christum ingrediatur, ac inspirationibus Spiritus ejus totum se regendum permittat, qui Spiritus est Amoris, patientie, puritatis, ac divine virtutis, que nunquam ei deerit, modo fideliter ille respondeat. Verum si homo non respondeat, si in Spiritum Christi ingredi nolit, sed in Spiritu Adami veteris maneat; omnia ea que Deus ei propter Christum obtulerat, extrahum manent; & non tantum salutem ejus non promovebunt, sed & severiorem ei damnationem dabunt, quam in qua antea demersus jacebat.

## Disquisitio hujus loci.

I. Magna veri specie Auctor hic, vasritiem Socinianorum imitatus, loquitur de Christi sacrificio, tanquam meritorio

torio & satisfactorio. Sed merum hic sicut verbis omnibus subesse, manifestissimum est e vindiciis istis, quas Dissert. VI. corruptelis ejusdem manifestis opposui.

2. Idem liquet e Disputationibus aliis. Nam secundum Dodec. I. secundam negat, *iustitiam Dei vindicem sacrificium aliquod meritorium & satisfactorium exegisse*. Secundum Dissert. III. negat peccato tantum inesse *reatum*, qui ad poenam forensem ducat, & per sacrificium piaculare tollendus fuerit. Secundum Dissert. IV. negat, peccata nostra Christo vi sponsionis fuisse *imputata* ad satisfactionem. Secundum Dissert. V. & VI. negat, *sacrificia habuisse vim expiandi typicam & representasse sacrificium Christi ιλατικον & vicarium*, per sui ipsius substitutionem pro nobis oblatum. Secundum Dissert. VII. & VIII. IX. & X. negat ac per negat *satisfactionem & meritum Christi in sensu forensi*. Hæc omnia negat Auctor, & ita quidem, ut errorum suorum gravitate ex parte ipsos etiam Socinianos supereret; & nihil tam minus hic non veretur *sacrificium Christi meritorium & satisfactorium crepare*.

3. Et quod doctrinam de justificatione forensi per erroris istius consequentiam neget in totum, & depravet penitus, *Dodecade* posteriore aliquot Dissertationibus ex instituto evincetur. Sed is tamen nihilominus audet hic provocare ad veniam peccatorum præteriorum, tanquam merito Christi adscribendam. Cujus corrupela gravitatem infra suo loco videbimus. Interea hisce omnibus cum tanta veri specie dictis non dubito opponere gravissimum illud Pauli monitum: *Nemo vos decipiatur inanibus verbis* Eph. V, 6.

4. Quæ cum ita sint, concepta ista prectionis formula, ad sacrificii Christi applicationem directa, caret sensu evangelico. Id quod ipsa etiam verbis mediis aperte prodit. Pro eo enim quod peccator supplex *ἰνχαρίσως* confiteri debet, Christum gravissimas miseras & ipsam mortem cru-

cis subiisse, ut justitiae Dei, peccatorum nostrorum culpa laxa, & ideo ad irrogationem poenae tendenti, nostri loco, oblata pro nobis aeterni valoris victima, satisfaceret, & hac ratione, tanquam oblationis suae fructum, recuperanda salutis media nobis procuraret: pro hac, inquam, meriti in sensu evangelico accepti confessione, peccator secundum mentem Auctoris omnia refert ad solam mediorum salutis intra nos instaurandæ, seu gratia nobis infundendæ, procreationem.

5. Pleudoevangelica igitur est precationis ista formula Poiretiana, quam Deus utique rejicere potest, immo non potest non rejicere, nisi precantis mens ipso formulae sensu Poiretiano sit melior.

6. Et hec istius formula *vogea* inde etiam cognoscitur, quod Auctor pratermissa piacularis oblationis applicazione, per fidem ad justificationem facienda, tantum urget renovationem, ut *homo in Christum ingrediatur ac inspirationibus Spiritus eius totum se regendum prebeat*. Quæ de oblatione & inventa in Christo venia præmittuntur, evangelico sensu earere, suo loco, urgente sic errore, ex professo demonstrabitur; et si per se jam ex iis, qua hactenus dicta sunt, manifestum sit.

### Locus VII. §. XI.

*Quanquam enim status erunnoſus Christi ſatisfactorius sit, non tamen hanc ob causam putandum eſt, Satisfactionem hanc hominibus exemptione vacationemque afferre: nam e contrario hæc ipsa porius ſatisfactione eos inducere debet, ut & ipsa ſua ex parte Deo ſatisfiant. Supra (Oecon. Lib. III. Cap. V. §. 17.) veluti in tranſitu obſervavimus, triplicem dari ſatisfactionem, primam, qua Christus apud Patrem ſuum ſatis operarum dedit fecitque, & talium quidem, quarum Meritum ſatis idoneum fuerit, ut veniam demeriti atque peccati hominus imperaret; videmus hac Satisfactione demeritum hominis revera*

revera tolli atque ab eo eximi, ita ut homo hoc sensu nihil ad eam rem contribuere valeat. Solus Christus hoc sensu pro peccatis hominum satisfecit: ille solus fecit præstitutique, quæ necessaria erant ac sufficientia, ut a Majestate Dei offensi, veniani hominibus demeriti sui impetraret. Verum est & Satisfactio altera, quæ ab hac consideratione excludenda non est, immo directo in eadem continetur, dum Christus sua ex parte officiis omnibus fecit satis, ut hominibus salutem eternam, ac admiracula necessaria quibus eandem amplectantur, modo plenissimo atque perfecto offerret. Hæc autem Satisfactio tertiam quandam necessario requirit, quæ hominum est, qui sua ex parte pariter satisfacere debent officio suo legitimo justoque, seu iis, quæ Deus justè ab illis exigit, quo gratiam suam in se stabiliri, operari, dominarique sinant. Ab hac Satisfactione nulla datur immunitas: sed omnino necessarium ut singuli sigillatim hocce modo iustitiae Dei per purificationem peccatorum suorum satisfaciant, ac operari in se sinant purificationem sordium suarum per conformitatem traditionemque sui Spiritus perpetuum, quem Christus in eos, qui per ipsum servari volunt, effundit.

### Disquisitio hujus loci.

1. Prior loci hujus periodus, præter fucum in vocibus *satisfactorius* & *satisfactio*, prodit rursus præjudicium, aut potius falsissimam imputationem, quod *satisfactio*, quam ecclesia Christi universa Christo sensu evangelico tribuit, per se hominibus exemptionem & vacationem ab officiis christianismi pariat. Quo sophismate imperiti inescantur.

2. Poiretus nunc id agit, ut e satisfactione Christi, qualis est statuit satisfactionem, nostram derivet. Sed quemadmodum fons iste nec genuinus est, nec purus; ita nihil

inde genuini ac puri derivari posse, per se jam res ipsa indicat.

3. Satisfactio ista prima, Christo tributa, & hic evangelicis verbis descripta, quantopere ab evangelico sensu abhorreat, abunde liquet, uti aliunde, sic praeipue e discusione loci praecedentis.

4. Satisfactio illa altera, a prima ista sine fundamento distincta, eadem non est melior aut rectior. Christus enim non dicitur *satisfecisse justitiae Dei vindici*, & quidem nostri loco, sed tantum *officiis suis*, ideoque non ad placandum Deum, tanquam justum judicem, sed tantum ad mediorum salutis procreationem.

5. Ad tertiam satisfactionem quod attinet, in ejus appellatione manifesta est confusio *fundamenti & ordinis salutis*. Etenim vox *satisfactionis* de salutis negotio usurpata in sensu biblico tantum ad salutis fundamentum pertinet, ejusdem ordine seu applicatione non satisfactionem, sed conversionem & renovationem necessario requirente.

6. Auctorem vero nostrum non solum in usu, sed in sensu etiam, vocis istius a vero aberrare, vel ex eo hic liquet, quod satisfactionem hanc tertiam ad justitiam Dei referat, beneficio justificationis, e solo Christi merito per solam fidem obtinendo, penitus excluso. De qua exclusione alibi ex instituto.

### Locus VIII. §. XII.

Hec vero verba sine dubio carni durissima videbuntur atque intolerabilia, Deo ac *Justitiae Dei pro peccatis suis* & ad eorum purificationem *satisfacere*. Hic caro sexcenties fonte reclamabit, causabiturque, hec blasphema esse, banc esse vomem Anti-Christi. Neque vero sine causa turbæ hic movet vertus Adamus, cui durissime hec verba duriorem mortem presagiant. Sed, quicquid sit, remedium aliud non datur: vel

vid

via hæc ei transeunda est, aut ei descendendum ad Inferos, velit, nolit. Nemo unquam immunitatem ab hac Satisfactione afferre potest, nisi hominum eversor & deceptores, verique fraudatores, qui falsis eos blanditiis ad infernum abripere volunt. Ad Servatorem enim quod attinet, ille potius hominem ad eam Satisfactionem inducit invitatque. Justitia Dei utut per meritum ejus placata, nihilominus ab homine exigit, ut is sua ex parte peccatum in se immolet, hoc est, ut peccare desinat; & cum Spiritu perpessionum, obnegationis sui ipsius, ac mortificationis, quem Deus ipse impertiet, siquidem salutem vere ac sincere desiderat, ipse cooperetur; que mors peccati cum sit ipsa purificatio anime, patet uique, quod homo ad purificationem peccatorum anime sue hoc sensu satisfacere debeat, quodque Justitia Dei vel maxime placata hanc ei necessitatem imponat. Quid dico Satisfactionem divinam hanc Satisfactionem ab homine exigere? Ipsa gracia qua gratia eandem expresse & directe exigit: quis enim negabit gratiam exigere, ut homo eam admittat, atque intra se operari senat? ut non accedit ille ad partes inimici sui, neque media ipse diutius suppeditet quibus vitam conservet; sed ut ea potius media pro virili parte auferat ac tollat? Atqui hæc est, de qua nunc agitur, Satisfactione hominis.

### Disquisitio hujus loci.

I. Quod si Auctor Epicuream istam multorum persuationem, quasi Christi satisfactione nobis exemptionem & immunitatem ab officiis christianismi praestans peperisset, si bi impugnandam sumisset, salva esset res; quamquam scopus iste nullam ipsi veniam, de satisfactione hominum ad justitiam Dei relata agendi, suisset datus. At nunc, ubi doctrinam de satisfactione Christi plane negat, immo explodit, res ipsi est, non cum carne, ut ipse existimat, sed cum ipsa veritate evangelica, cuius Auctor est non vetus Adam,

sed

Sed verus alter Adamus, Christus Jesus, cuius verbo palam contradicit.

2. Hæc unica observatio, sufficit ad dijudicandas Auctoris *Φλυαρίας*, quas integer locus habet. In verbis: *justitia Dei per meritum Christi placata*, fucum esse manifestum, vel centies, urgente sic *ἀντιλογίας* Poiretanæ occasione, indicavi & demonstravi.

### Locus IX. §. XIII.

*Non defunt, qui in rebus spiritualibus adeo simplices sint, sed nimis intempestrive ac perperam, aut qui in verbis diligendis adeo sint scrupulosi vel superstitionis potius, ut nonnullis auditis perinde contremiscant, ac si triste omen aut fatale malum in verbis lateat: quod et si cordatis puerile nimis videbitur, cix tamen dubito, paucos admodum inter Protestantates esse; qui non ex hoc ipso principio verbum SATISFACTIONIS, quatenus ad hominem referunt, expavescant, ejusque forte pronuntiationem sibi permittere non audeant. Verum enim vero, si quod ineft malum fatale in hoc verbo, id certe incepit, quando sensa negativo eodem uti voluerunt, dicendo, hominem Deo satisfacere non debere, quod scilicet per satisfactionem Christi ea necessitas ipsi esset remissa. Tunc sane verbum hoc fatale caput esse; cumque caro hanc immunitatē ambabus ulnis amplecteretur, factum est, ut hominum innumeri infeliciter perierint. Ceterum in Scriptura sacra promite ostendi possent, multæ pasim formulæ loquendi huiusce respondentes, quarum summa eo redit, quod homo perpetrationibus suis, sive peccatum in se mortificando, conditioni satisfacere, & cooperationem, quam Deus non sine justitia ab eo exigit, ut gratia sua fruatur, implere debeat; quod ni fiat, nullam superesse salutis spem. Evidem inter seatas illas, quæ nunc homines divisos secernunt, hoc ipsum verbum perperam plerumque ab omnibus intellectum fuit: attamen, ut veritatem libere & aperte dicam,*

cam, multo majus utique periculum est abusus, si dicetur, homines satisfacere non debere; quam si doceatur, eodem satisfacere debere. Atque adeo, post elucidationes hasce quibus hoc quicquid est breviter nunc explicimus, queque alio loco (vide Prefat. Apologeticam prefixam Vite Virginis Burignoniae: p. 128. &c. edid. Gallicæ.) longius exposta occurruunt, non immerito inculcabimus, veritatem hanc magni esse momenti, indoneaque, que multis pasim abusibus medeatur; scilicet, quod unusquisque iustitiae Dei satisfacere debeat: non quidem ut purificationem peccatorum suorum mereatur; sed ut eam per eorumdem peccatorum abolitionem in se admittat. Verum ego difficultatibus verborum diuinus examinandis supersedeo: Redamus ad institutum nostrum, videamusque, quanam porro prerogativæ sint in Sacrificio Christi præ nudo exemplo creaturæ nude.

### Disquisitio hujus loci.

I. Quod Poireto vox *Satisfactionis* de homine usurpatâ tantoperè placet, mirum non est, cum faveat papismo cuius favoris ac patrocinii [de quo ex professo Dodec. posterioris Dissertat. XII.] hic ipse hujus vocis usus ac sensus novo est documento.

2. Si Auctor non ignoravit, paucos fore inter Protestantes, qui vocem satisfactionis, de homine usurpatam, ferre possint, certe non nescivit caussas ipsorum, nec nescivit, quo sensu & quibus argumentis doctrinam de satisfactione, foli Christo adscribenda, e sacris litteris adstruant. Immo hæc omnia non potuit nec debuit non de dogmate isto perspecta habere, cum ipsi dicam scriberet publicam in Oeconomia sua. Jam vero in doctrinæ istius improbatione sententiam Protestantium genuinam nunquam sincere referit; & argumenta ipsorum ne recenset quidem unquam, tantum abest ut ea vel *extremo elenchi* sui digito tetigerit, sed in

mera conclusionis, seu veræ thefeos, explosione hæret, turpissimò, & ipsis Protestantibus abominabili, istius abusu pro solo suo præsidio usus. Hoc vero anne sit sophistam agere & malis strophis delectari, eisque imperitos circumagere, ipsi Poiretiani nominis admiratores quæso considerent.

3. Quæ de fatali verbi, *satisfacere*, malo ejusque initio, dicuntur, nil fere sunt, nisi merum scommata, bono scriptore indignum.

4. Quæ de formulis Scripturæ sacræ adduntur, quid sunt, nisi *sophisma scommati* additum? Quod enim scriptura formulis istis affirmat, etiam ambabus ultiis amplectuntur Protestantes, et si satisfactionem Poireto tantopere invisam urgeant, a Poiretiana autem illa papizante sint alieni.

#### Locus X. §. XIV. p. 88. seqq.

*Exemplum nudum (præter defectus quos in eo adesse supra jam vidimus) aliis virtutem ac vires requisitas & necessarias non darer. Licit enim divinam eam in illo virtutem videremus, que in tali anima vim mali fortiter sustineret; attamen ea virtus, necessitatibus hujus subiecti accommodata, ceteris non perinde responderet: Illa pro hoc ipso subiecto ibidem aderet, pro reliquis non item. Evidem homines in exemplo bony occasionem invenire possint ad Deum, virtutis fontem, recurrenti: at quid consilii erit, si incredulitas, diffidentia, pusillanimitas, & desperatio hic superveniant, falseque persuasiones accedant, quibus putet peccator, necessarium non esse, ut patiendo vincat, sed per aliam viam energi posse. Malis hisce omnibus medetur sacrificium Christi. In eo videmus virtutem divinam sufficientemque, que omnibus animam addat viresque suppeditet, quibus singuli iis, que Deus ab ipsis exigit, facile satisfacere possunt: etenim divina hec virtus est Amor ille infinitus, qui est ipse Deus. Videmus in eo Sacrificio virtutem hanc non esse pro eo, qui illic patitur, quasi in eo solo sufficere*

sistere deberet; ille enim non patitur pro se, sed propter necessitatem, quia alii eodem induci debent; quo argumento parat omnia ad illos pertinere. Videmus ibidem obstacula omnia, infirmitatem puta, incredulitatem, timorem, falsam persuasione, ceteraque sublata; quandoquidem ex eo perspicuum sit, quod Divinus amor, fortis ac luminosus, omnibus sese donare, ac in omnibus operari velit; quodque per aliam viam quam per conformitatem sui id prestatre nolit: namque cum nec propter Deum, nec propter se ipsum opus habuerit in hunc statum descendere, frustra omnino eum atque inutiliter suscepisset, si quidem homines per aliam viam merito ejus ac gratia frui possent, quam imitando ac sequendo eam, quam ipse isdem demonstravit in se, Hebr. 10. v. 20. qui ipse est via illa nova & vivens, cuius meminit Apostolus, in qua nobis ambulandum est, ut introeamus in loca sancta per sanguinem ejus, (hoc est, in puritatem divinam per ingressum in patientem spiritum ipsius, cuius virtute perpessionibus ejus conformemur.) Quis vero dicaret, exemplum nudum nude creature adhac omnis sufficeret?

### Disquisitio hujus loci.

1. Mala, qua nudum exemplum relictum esset, ne recenset quidem recte Poiretus, tantum abest, ut iis recte medeatur. Omittit enim malum istud perterrefacta conscientia primarium, quod in sensu iustitiae Dei vindicis sibi ad paenam imminentis experitur, quod non denum supervenit, sed quod contritionis vera apud omnes vere paenitentes facit initium.

2. Primam malorum medelam, revera e sacrificio Christi derivandam, Auctor collocat in subministracione virium spiritualium; cum eam collocare debuisse in solamine evangelico de peccatorum reatu per sacrificium Christi sublato.

D 2

3. De-

3. Deinde perpeſſionum Christi neceſſitatē male po-  
nit in neceſſitate nos homines ad patiendum adducendi, ve-  
ra earum neceſſitate, quæ erat in iuſtitia Dei vindice, ſatiſ-  
factionem exigente, prorsus negata.

4. Burignonianæ hermeneuticæ, quæ Socinianam, h.  
e. tortuosam & verſipellem, perverſitate paſſim ſuperat, ſpeci-  
men eſt, quo *per ſanguinem Chriſti in ſancta introire* ex-  
pliſatur *per ingredi in puritatem divinam, in patientem Spiri-  
tum Chriſti*. Veram iſtius phraseos ſignificationem longa  
argumentorum & declarationum ſerie exhibent Dissertationes  
Dodec. prioris quinta, ſeptima & octava.

5. Quæ cum ita ſint, epiphonema iſtud erotematicum:  
*Quis vero diceret &c. eſt ineptiſſimum.*

6. Paragraphi XV. per p. 89. 90. & 91. protensi, proli-  
xus ſermo totus eſt ad fallaciam compositus, & ex iis, quæ  
haec tenus dicta ſunt, facile potest dijudicari. Lemma qui-  
dem ejusdem in margine poſitum hoc eſt: *exponuntur por-  
ro prærogativæ ſacrificii Chriſti præ nudo exemplo*. Sed ne  
ꝝ quidem ex evangelio proponi, merito miratur, qui vel  
mediocrema tantum evangelii de Chriſto notitiam habet. Im-  
mo applicationem ſacrificii Chriſti evangeliacam ſupprimit  
potius evertitque Auctor, quando inter alia locum Pauli:  
*Chriſtus propter iuſtificationem noſtri resurrexit*, non niſi de  
renovatione explicat. Deinde ſecundum hypothefin de pu-  
gna Chriſti adverſus peccatum inhærens & ſolicitanis com-  
minifcitur, turbas naturæ totius in persequendo & affligendo  
Chriſto ab eodem ita fuſſe abſorptas, quemadmodum ignis va-  
ſus in oceanum decidens ibidem extinguitur; & hinc colligit,  
minorem nunc in natura maledictionem in eſſe, quam antea &c.  
Quam tamen ſententiam ipſe ſtatim deſtruit, ſibi ipſi con-  
trarius, & totus *μετεωριζόμενος*. Inter alia ſingit, *diabolum*  
*jus ſuum, quod antea iuſte ſibi in opera Dei vindicare viſus fu-  
erit, per iuſtaſam Chriſti perfeſſionem perdiſſe*. Id quod  
ad

ad Poiretianam evangelii innovationem pertinere & hypothesi de negata iustitia Dei vindice & satisfactione forense superstructum esse, nemo non videt.

Locus XI. §. XVI. p. 91. seqv.

Atque ita hanc doctrinam satis prolixè ni fallor exposui-  
mus. Sic ut non videam quipiam difficultatis supereffè posse,  
saltē in iis, que præcipua hic videntur, presertim si lector  
præjudiciorum torrente non abreptus libera mente rem exami-  
nare sciat; in ceteris enim non est ut quicquam sperari possit;  
& vellem sane ut disputatores rixosib[us] nihil horum intelligere  
possent, quanquam iū quā lumen puritatē secundum De-  
um amant, ea, ut spero, in iisdem sint inventuri que desideriū  
suis intimis respondeant. Evidēnt nullo negotio, si opus foret,  
dissipari possent glossie, quibus caro multa pasim Scripturæ loca  
detorquet, quando probare conatur, sacrificium Christi immu-  
nitatem sibi attulisse suum in locum substitutum, non autem  
velle, ut ipsa eidem conformetur. Verum nos a iuris iūs  
contentiōibusque abstinentes, satis habebimus ipsius Christi verbis  
easdem confutasse &c.

Disquisitio hujus loci.

1. Satis quidem prolixè, at simul satis futiliter, et si  
speciose etiam, Auctor errorem suum exposuit, uti percep-  
tiū.

2. Optat sibi idem lectorum præjudiciorum torrente non  
abreptum, sed libera mente rem examinare scientem. Ta-  
leim vero imprimis oportebat esse scriptorem nostrum. Quem  
qualem, pro idoneo rerum examinatore, haec tenus deprehen-  
derimus, nemini non constare potest, scilicet virum Bur-  
gniano præjudiciorum & phantasmatum torrente adeo ab-  
reptum, ut & libertatem mentis & facultatem examinandi hac  
in parte penitus amiserit, mulieri totus mancipatus.

3. Ego sane disputatione rixosus haud sum, quandoquidem in errorum Poiretianorum examine non præjudicis præpeditus, sed integro argumentorum agmine, e pandectis sacris secundum justæ hermeneuticæ leges desumto, passim prodeo, & non nisi doctrina evangelica denuo adstructa, ad antitheseos solutionem & destructionem accedo. Quod si erravi, provocatos volo publice omnes Poiretiani systematis admiratores, ut errorum meorum me convincant; non vero methodo scribendi Poiretiana h. e. sophistica & declamatoria, sed ea, quam ipse adhibui, h. e. demonstrativa. Id quod si nec possunt, nec volunt, sed me vera scripsisse deprehendunt, ipsa veritatis lege compulsi dicere tenentur: *Amicus quidem est, aut fuit, Poiretus, sed amica magis est veritas.*

4. Scimma est, *glossas*, voce hac abjectiori sensu accepta, & Scripturarum *detorsiones* vocare, quæ tamen sunt genuina ipsarum interpretationes. Utinam Auctor inepta sua glossemata, & equuleum suum hermeneuticum, quo non raro ipsorum etiam Socinianorum σεβλογητα superat, recte agnovisset!

5. Vanissima est jactantia, se nullo negotio *glossas istas*, quas vocat, *dissipare* potuisse.

6. Sophisma est, viro docti & probo indignissimum, quando glossatum & jactantia sua præsidium omne in eo ponit, quod doctrinæ de satisfactione verum sensum & usum cum turpi ejus abusu, exemptionem & immunitatem aliquam Epicuream somniante, confundit, & hanc, tanquam evangelica confessionis animam & nervum, identidem allegat, hac ratione sophisma suum non levi criminatione instruens.

7. Sophisma, ne quid gravius dicam, porro est, malaque causæ indicium, hermeneuticam demonstrandi operam vocare *jurgia & contentiones*, eamque sub praetextu studii pacis subrefugere.

8. Fallacia disjunctionis est in rebus arctissimo necessitatis

fitatis nexu conjunctis, quando Auctor ad ea Christi loca provocat, quæ de ejus imitatione agunt. Hic enī valet tri-  
tum illud: *Concedo totum argumentum.* Item: *unius positio  
non est alterius exclusio.* Poiretiana biblia sunt tantum dimi-  
diata. Certe altera & præcipua, seu evangelica, ejus pars,  
etsi directe non negatur, depravatur tamen ex toto, ipso e-  
vangelio in legem converso.

9. Locum supra allegatum prolixioribus, & ideo omis-  
sis, verbiis claudit Auctor cum indignissima oraculi Joannici, vere  
evangelici, de mundatione nostræ per sanguinem Christi, ep. 1.  
2. 6. 7. detorsione, sensu ejus evangelico negato, & toto ad  
pugnam, ad sanguinem usque aduersus peccata tendentem,  
relato, & hoc epiphonemate subjuncto: *Ita demum neque  
aliter per sanguinem Jesu Christi a peccatis purificati sumus.*  
Id quod est *κατηλέγειν τὸν λόγον τῆς θεοῦ.* Sed corruptelarum  
nondum est finis. En novas!

Locus XII. §. XVII. p. 92. seqv.

Hæc diligenter observabit quisquis volet. At vetus no-  
ster homo Scripturas sacras perpetuo corrumptit, ut vitam suam  
sufficeret. Ille facit, ut astide in ore habeamus grandia verba:  
Jesus Christus pretium redēctionis nostræ persolvit: ille dedit  
vitam suam lycrum pro multis: ille nos pretio sanguinis sui  
redemit. Ille nos Legis liberavit a maledictione, dum ipse fa-  
etus est maledictio, ut fieremus justitia Dei in ipso: aliaque  
bis similia. Sed heus tu caro & corruptio infelicissima, vetus  
homo nequam, idemque veterator callide! Ista quidem omnia  
verissima sunt; ad eadem tibi nil nisi ipsissimam mortem pre-  
fagiunt! Putasne vero Christum voluisse hominem veterem re-  
dimere, atque ita impedire ne ille moreretur? voluisse mor-  
tem abolitionemque veteri homini debiram, ad ejus liberatio-  
nem immunitatemque ipse solvere? Næ, quam blasphemæ hæc  
essent! Christus potius lycrum persolvit pro spiritu, at caro mo-  
rere.

reretur; pro homine, inquam, interno ac divino, ut homo corruptibilis ac mundanus periret. Lytrum illud in eo est, quod ipse tanquam planta cœlestis, hunc in mundum transplantari, & ad truncum usque in amissione vite sue recidi voluit, (hoc inquam est lytrum,) non ut arbores pravae, que circa eam circumstant, credant eo ipso, quod hec arbor bona recisa fuit, se a succo maligno atque maledicto, qui in ipsis inest, redemtas esse atque liberatas. Quæ hæc esset insanæ! quam egregia hæc liberatio! Sed potius, ut male arbores semet ipse illius exemplo ab ipsa radice ressecari finant; & pravam radicem suam in terra relinquentes, in truncum hunc sacratissimum, qui propter ipsas recisas est, sese transferant inserantque. Quo facto, succus virtusque cœlestis divini bujus trunci ex ipso in eas transiens, per infusionem hanc atque insinuationem intimam sui ipsius in eas, easdem liberavit, ac succum maledictionis, qui iisdem naturalis fuerat, in iis impugnabit, expelletque ac superabit, atque ita eas purificabit, ut fructus vite edant, qui & sati docebunt nihil jam maligni in iis superesse. Et hoc quidem modo fit liberatio atque redemptio. Christus, ut de se ipse testatur, planta est Job. 15. v. 4. & vitis, sive Rom. II. v. 24. olea bona, ut Paulus ait: extra eum nihil possumus: at in ipso succi ipsius particeps sumus. Quomodo vero unum redimur cum illo? Paulus inquit: Rom. 6. v. 5. Cum eo plantati coaliuimus ASSIMILATIONEM, sive CONFORMATITATE MORTIS EJUS. Quemadmodum ergo ille ab ipsa radice ressecus est, ut nos in se reciperet, & succum suum nobis impertiret; ita nos simil modo, atque ille, ab ipsa radice ressecari debemus, ut ipsi inseramur & gratiam illius recipiamus. Vite sue jactura atque resecatio lytrum illud est, quod pro nobis solvit, ut & nos ipsi similiter ressecemur, (& hic quidem iudas est gratiae,) quo per hanc refectionem ipsi inseramur, ac vite nostræ originem in Deo habeamus, qui per vitam suam nos a peccato atque a morte liberabit.

Ille

Ille ergo lytrum solvit etiam, ut nos ipsum imitaremur,  
 atque ut perinde ac ille mortuus est, ipsi similiter moreremur.  
 Similitudines expressionesque metaphoricae (lytri) ad vivum re-  
 secande non sunt, aut nimis brute urgenda; neque putandum  
 est, quemadmodum forte homo facinorosus, pro quo alius pecu-  
 niam seu lytron soluit, e vinculis dimittitur, ita ut & ipse ni-  
 hil simile solvar, nec ulla in eo mutatio accidat; sic in lytro a  
 Christo praestito idem omnino accidisse. Ira enim Christus mi-  
 nister fuisse Diaboli. Quin potius, lytrum ipsius est ejusmodi,  
 quo inducamur, ut vitam perdamus, (quemadmodum ipse lo-  
 quitur,) ut ipsum imitemur, ut moriamur: quod ipsum sane  
 nostra est liberatio: etenim, ut verum fateamur, captivitas il-  
 la, a qua nos liberari debemus, est captivitas sub peccato & sub  
 peccati inclinationibus, viventibus in nobis ac vite Dei adversan-  
 tibus: cuius captivitatis liberatio per lytrum hoc procuranda,  
 cum sit ipsa vita peccaminose mors, hinc idem hoc lytrum ad  
 mortem hanc, & ad omnia media, que eandem promovent, nos  
 inducit ac vocat. Christus propriam vitam suam lytrum dans  
 pro nobis, similis in hoc est Liberatori cuidam optimo, qui vi-  
 ta sua periculo in carcerem ingressus, hominibus miserrimiis,  
 illic captivis, media ac vires ministraret, quibus ex eodem exi-  
 rent per viam prius ipsis incognitam ac vestigis ejusdem prae-  
 ventis inhaerentes. 2. Cor. 5. v. 21. Gal. 3. v. 13. Ille factus est ma-  
 ledictio atque peccatum, ut efficeremur justitia Dei in ipso,  
 dum statum conditionis nostra maledicta ipse in se suscepit, o-  
 mnesque inordinationes ejusdem tulit, ac per divinam virtu-  
 tem Amoris sui superavit, ut nos, qui natura in maledictione  
 demersi jacemus, ex eo statu exiremus, ingrediendo scilicet in  
 illum, cuius divina virtus propensiones ac vitam peccati, seu  
 maledictionis nostræ, extinguet: quo facto, nihil in nobis fu-  
 pererit nisi quod justum erit atque purum.

E

Dis-

## Disquisitio hujus loci.

1. Scomma est *σαρπικόν*, genuinam oraculorum evangelicorum interpretationem, quæ revera in ipsis est Scripturis se mutuo explicantibus, veteri homini tribuere, & eam vocare corruptionem; & quidem ita criminari sub tegmine sophismatis, sine fine repetiti, quo abusus doctrinæ evangelicæ pro ipsa ejus confessione venditat.

2. Scomma est cumulatissimum in isto epiphonemate, quod allegatis oraculis evangelicis subjungitur: *Sed heus tu caro & corruptio infelicitissima, vetus homo nequam, idemque vetrator callide!* Certe caro nunquam est perniciosior, quam quando pro spiritu vult haberi: vetus homo nunquam insidiosior, quam quando se pro novo venditat. Utrumque videamus in Poireto.

3. Si ista omnia, quæ oracula illa habent, verissima sunt, cur eadem tam infelici ausu oppugnavit Auctor? Sed, confessionem hanc de oraculorum istorum veritate sinceram haud esse, mox videbimus.

4. Νοθέαν istius confessionis primo statim prodit sophisma cum errore conjunctum in verbis *ἀπίστως* sequentibus: *at eadem tibi nil nisi ipsissimam mortem presagiant.* Error est, in sensu exclusivo, sacrificium nil nisi ipsam mortem carni presagivisse. Nam huic mortis, seu mortificationis, scopo & fructui omnino præmittit applicationem evangelicam de remissione peccatorum gratuita & forensi, exigens, ut hæc ipsa in mortificationis ordine applicetur. Sophisma errori junctum, aut potius criminatio, est in perpetua ista Poireti cantilena, qua abusum doctrinæ, ad ipsam mortificationis negationem abeuntem, pro ipsa ejus forma venditat, in ecclesiam Protestantum & innocentissimam eorum confessionem iniquus.

5. Et

5. Et hunc pertinent isti sarcasmi viro bono & docto indignissimi: *Putasne vero, Christum voluisse hominem veterem redimere &c.* Quibus dicterioris oracula divina de redemptione Christi excipere, sane res est a genuino christiani nominis confessore abhorrens.

6. In sequentibus fœdisima est doctrinæ purioris de lytro Christi depravatio, prout eam receptæ hypotheseos præjudicium ac Burignoniana servitutis vitium subministrarunt. Genuinum lytri & redemtionis sensum lector evolutum vidit supra Dissert. V. Dodecad. prioris.

7. Et hanc doctrinæ corruptionem Auctor exornat consueto suo malignæ mentis sophismate, quando in metaphora de arbore, ad notationem lytri ineptissima, ita pergit: *Hoc est lytrum, non ut arbores pravae, quæ circa eam circumstant, credant eo ipso, quo hec arbor bona recisa fuit, se a succo maligno atque maledicto, qui in ipsis inest, redemptas esse, atque liberatas.* *Quæ hæc esset insania!* &c. Certe insania hæc non minor esset, quam fuit Poireti matrælogia, qua ductus ab uno extremo evitato prolapsus est ad alterum, scilicet ab extremo abusus in extremum protervæ & prætumidæ negationis, Christo non minus ignominiosæ, quam abusus iste ipso indignus est.

8. Reliquus sermo totus eodem laborat cocoethe, scilicet manifesta evangelii corruptione, & itidem quidem incrucata sophismate in disjunctione rerum conjunctarum, ad naufragium usque semper reperita imagine ista ad redemtionis forensis representationem plane inepta, & tamen per multam expolitionem continuata. Sed hoc est rhetoriciari, non argumentari. Valeat ista imago in loco de unione & communione Christi ac fidelium mystica: sed valeat etiam hæc de lytro forensi & proprie dicto in loco de redemtione. *Quod*

Si aliquis loca de salutis *applicatione*, sub imagine arboris & plantæ repræsentata, ad salutis *acquisitionem* applicaret, is Poi-  
reto totus insanire videretur, extremis ab ipso farcasmis ex-  
cipiendus. At dum is loca de salutis *acquisitione* ad ejusdem  
*applicationem* refert, factum hoc ipsi est sacrosanctum, re-  
verenter habendum ac submisse accipiendum. Quanta  
hæc non est mentis pseudomysticæ & μετωπιζομένης perver-  
sitas!

9. Ecce tibi, lector evangelicæ veritatis, quam Occo-  
nomia hujus novæ, amantior, novum istius pravitatis docu-  
mentum! *similitudines expressionesque metaphoricae de lytro ad vivum resuscitandæ non sunt, aut [ pro stili mystici moderatione ] nimis brute urgenda.* Sic Auctor loquitur de ipso sensu earum  
genuino, quem res ipsa & perpetua veritatis harmonia requi-  
runt, & quem *tupra* Dissert. V. VII. & VIII. Nodec. prioris lon-  
ga serie explanatum exhibui. At quando ipse locutiones  
metaphoricas de lytro & redemtione forensi brutum plane  
in modum, seu extreme ἀλόγως, ad sensum interioris reno-  
vationis, sensu forensi & proprio plane exploso, omni nisi  
detorquet & pervertit, hoc bonum, immo optimum ipsi sa-  
etum est, scriptore mystico dignum. Absit ejusmodi my-  
sticismus! Mihi cum codem nihil plane commercii est, quia  
ipsi evangelicæ veritati non insidiatur solum, sed apertum  
etiam bellum, blandientibus quidem, at infestissimis tamen,  
signis infert.

10. Reliquæ prolixioris loci Φλωρίται per se conci-  
dunt, cum iis, quæ hactenus prolata sunt, collata. Mani-  
festa est in iis confusio λύσεως & ἀπολυτρώσεως, ita ut Auctor  
Christi λύσιν, qua is opera captivantis diaboli in nobis de-  
struit, τῇ ἀπολυτρώσει non subordinet, sed opponat.

Locus

## Locus XIII. §. XVIII.

Absterer tempore si pluribus argumentis agere pergerem. Id unum saltem rogatos nunc velim eos, qui adeo insistunt locis illis Scripturæ, quæ de liberatione, de redentione, de purificatione, de expiatione loquuntur, ut in se descendat, videlicet, utrum ipsi a peccato vere liberati sint, nec ei amplius obedient, (etenim alias ejusdem adhuc servi manent, docente Paulo: Rom. VI. v. 16. Servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem; sive iustitiae ad vitam:) Videant inquam an a peccato vere purificati sint, ita ut maculae nullæ, nullæ frides, nec quippiam immundi quod lavari ac expari debeat, in iis supersit. Quod si ita sit, ajo, ac rei gestæ veritas idem confirmabit, eos per solam imitationem virtutemque divinam atque inherenter, quæ ex Christo in ipsis defluxit, eo progressos esse. Quodsi vero eousque semet nondum proiectos esse inveniant, ajo, eos nunquam eo progressuros esse, nisi per eandem hanc Christi virtutem efficacem atque inherenter operantem. Evidem nescio fere, quod hic sibi velint homines. Nonne sufficere sibi putant, quod a demerito peccati & a doloribus, qui æterni ipsis fuissent, per merita Christi liberati sint; quodque idem Redemptor vias ius ac media procuraverit, quibus malum, quod intra se esse introduxerant, ibidem extinguitur, quo bonum lumenque solum purissime deinde in iis dominentur? Hæc summa est, ad quam omnia, quæ dixi redeunt: neque unquam, ut puto, possibile erit, vias basce solidius explicare per aliud systema, quod ab omni sufficiione corruptionis sovende longius absit, & ad gloriam Dei illustrandam magis faciat. Neque difficile forer ostendere alia, methodo meritum persone Christi ac gloriam ipsius Dei labefactari, corruptioni patrocinium afferri; veramque & Dei imaginem, & hominis

*perfectionem ad meras ideas metaphysicas atque imaginarias  
reduci : verum iis nunc supercedo.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Prætextit Auctor, se ab hisurum tempore, si pluribus argumentis agere pergeret : & hactenus in diffuso sermone ne ullius quidem argumenti hilum produxit, sed meris se sophismatis, partim etiam sarcasmis, induit, ita ut mirari satis nequeam eam præjudiciorum, in primis admissæ & tantum non adorata, Burigonianæ auctoritatis, vim & efficaciam, quæ virum alias eruditissimum, & ingenii ac judicij virilis dotibus insigniter pollutem, adeo effeminavit, ut passim summa cum ~~auspiis~~ & futilitate scribat, prudentiorum lectorum commiserationi, si non indignationi, se exponens.

2. Et quanta se hic non prodit futilitas in illa ad dissidentes obtestatione & explorationis sui commendatione? Idem enim est ac si ego Poiretiano more, adversus doctrinam de satisfactione exercito, doctrinam de renovatione veram, falsa substituta, in universum damnarem, acerbisque modis exploderem, illos vero, qui istam non immerito commendant urgentque, post sermonem, e meris fallaciis contextum, tandem hoc exciperem epiphonemate: *Id unum saltem regatos nunc velim eos, qui adeo insistant locis illis Scripturæ, que de renovatione, de imitatione Christi, de nostri mortificatione &c. loquuntur, ut in se descendat, videantque, utrum ipsi vere justificati sint justificatione forensi. Quod si ita est, ajo, ac rei gestæ veritas idem confirmabit, eos jam tum per solam justificationem ejusmodi ad imitationem Christi & sui mortificationem progressos esse. Quod si vere eo usque semet nondum proiectos esse inveniant, ajo, eos nunquam eo progressuros*

*Suros esse, nisi per solam iustificationem istam forensem &c.* Certe me pro emotæ mentis scriptore habiturus fuisset Auctor. Quando vero ipse adeo ineptit, videri vult mathematicæ *et apibetæ* documentum dedisse. Qui status animi ipsi potius deplorandus erat.

3. Prædicata ista Poiretianaæ doctrinæ summa, verbis speciosis & ad fallendum compositis concepta, quantis scateant erroribus & absurdis, hactenus tot Dissertationibus demonstratum est. Plura dabunt sequentes.

4. Quanta Auctor *av9adæia* laboraverit, vel e proprio illo de *Oeconomia* sua judicio videoas. Hanc vero non e Scriptura fontibus, secundum hermeneutica leges recte inspectis & intellectis usurpatisque, sed e Burignonianæ & propriæ mentis phænomenis magna ex parte concinnatam esse, hactenus, quod spero, evici & porro evincam, non dubitans de lectorum, quotquot nudam veritatem amant, assensu.

5. Ultima loci allegati periodus bis est inepta. Primum enim demonstratione ea, quam Auctor negat, sibi difficilē fuisse futurum, in re tanti momenti non erat supercedendum. Deinde non est quæstio, generatim de quacunque alia methodo, sed de ea, quæ ecclesiæ evangelicæ est, & cui acerrime insultat. Insultare vero & explodere non est demonstrare & refutare.

6. Paragrapho cap. III. hactenus examinati ultimo Auctor subjungit succinctam commemorationem eorum, quæ post mortem Christi ab hoc acta sunt, scilicet resurrectionis, ascensionis in cœlum & Spiritus Sancti in apostolos demissi, & ipsius muneris apostolici, cuius omne punctum rursus ponit in errore suo, h. e. in solitaria renovationis inculcatione, potiore evangelii thesauro plane negato, abjecto & sepulto.

Ein wertgeschätzter Freund will heute disputation,  
Und meine Pflicht treibt mich zu einem Wunsche an,  
Die Freude lässt sich in dem Gemüthe spüren  
Dass meine Schuldigkeit unmöglich schweigen kan.  
Der Himmel gönne Dir viel Seegen und Beranügen,  
Er schenke dir das Wohl, dass ich dir angedacht,  
So wird kein rauher Sturm des Unglücks Dich besiegen  
Wenn stetig Wohlergehn um deine Scheitel lacht.  
Welches seinem Werthesen Freunde von ganzen Herzen wünschet  
dessen ergebenster Diener

C. G. v. Sodenstern/ Sunda-Pomer.

Der Irrthum Poirets wird heute wiederlegt,  
Den der sonst kluge Mann von Christi Leiden hegt;  
Drum wollt' werther Freund auf den Catheder steigen  
Und der gelehrten Welt mit vielen gründen zeigen  
Wie leichtlich die Vernunft im Glauben irren kan /  
Nimmt sie nicht Gottes Wort zur sichern Richtschnur an.  
Wohlan! so zeige denn die Frucht von Deinem Fleisse  
Von Deiner Emsigkeit, von Deinem sauren Schweise.  
Der Ausgang treffe denn mit meinem Wunsche ein;  
So wird auch Deine Müh nicht ohne Seegen seyn.

Mit diesen wenigen Zeilen solte seinen geehrtesten Freund zu be-  
vorstehenden Specimine Eruditionis von Herzen gratuliren  
dessen ergebenster Diener

Johann Victor Kratzse, J. U. C. Hall. Magd.



73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt



B.I.G.



DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
**DODECADIS PRIORIS**  
ULTIMA, seu DUODECIMA,

QVA  
DOCTRINA  
DE

**PERPESSIONI-  
BUS JESU CHRISTI,  
EJUSDEMQUE SACRIFI-  
CIO ET SATISFACTIONE,**

A VIRI CLARISSIMI,  
*PETRI POIRETI,*  
CORRUPTELIS PORRO VINDICATUR:

IN REGIA FRIDERICIANA

Die Maji hujus M DCC XX anni

PRÆSIDE

av.

**D. JOACHIMO LANGIO,**

S. THEOL. PROF. ORDIN.

responsione publica defensa

A  
**JOANNE GEORGIO LEUBIO,**  
SOMMERHUSANO FRANCO, S. TH. STUD.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOAN. FRIDERICI KOTTENDORFFII, Acad. Typ.